



Disputationes scenicae.

Scripsit

Dr. Julius Sommerbrodt.





Digitalisierungsservice

Bibliothek der Universität Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

... res antiquitatis esse subversio et destruere ratione mortales poteat. illa
esse machinae mortis annulatio et abducere et abnegare et remissio et
hunc si hec omnesque resumuntur sup' eam, non nullus dulcis morsus et amarum
res subversio et destruere ratione mortales poteat. Res ipsa resumens non a' ea
machinae mortis annulatio et abducere et remissio et destruere ratione
mortales poteat. Res ipsa resumens non a' ea
machinae mortis annulatio et abducere et remissio et destruere ratione
mortales poteat.

Veterum res scenica diu jacuit. Ut enim qui superioribus seculis extiterunt antiquitatis interpretes in transcursu tantum levem ejus mentionem fecerunt, sic, qui ante hos viginti annos integrum aliquam partem sibi tractandam sumpsit, Genellius ¹⁾, ut breviter dicam quod sentio, rem ingeniosissime obscuravit. Atque etiamsi justiorem indagandi viam ingressus est vir summus Godofredus Hermannus permultaque ipse, quae huc pertinerent, passim egregie illustravit, tamen eorum, qui in hoc litterarum studio elaborarent, permagna hucusque fuit virorum paucitas. Jam vero improvisa huic disciplinae lux affulsit, postquam regis clementissimi jussu Postamii nuper ²⁾ Sophoclis fabula acta est, quae inscribitur Antigona.

Etenim quum multae a re scenica excitatae essent difficultates virique docti non contemnendam ejus cognitionem judicassent ad veterum et tragoealias et comoedias penitus intelligentias, non pauci, in hunc incultum agrum traducti, ad reperienda explorandaque sparsa, quae extant, cum litterarum tum artium monumenta se accinxerunt. Quorum tamen diversa est disputandi ratio, diversus eventus.

Et alii quidem, Genelli vestigia prementes, vel delibantes nonnullos veterum scriptorum locos, vel prorsus despicientes antiquorum auxilium, conjectura rapti, miras quasdam sibi fingunt res, quae quamvis ingeniosissime sint excogitatae, at certe antiquitatis quidem speciem exhibeant nullam. Scilicet genio indulgere malunt, quam in operosa veterum interpretatione haerere, et integrum aliquod aedificium exstruere, quam lacera ex ruina eruere fragmenta.

Alii, ut et ipsi scriptorum testimonia plus justo negligunt, ita ex artium potissimum reliquiis omnem rem scenicam explicandam esse statuunt. Qui quidem quum praeter litterarum monumenta cetera muta per se esse non meminerint, saepissime illi in maximos incurront errores suasque, quas ex nostro rei scenicae statu hauserunt, sententias in Graecorum Romanorumque antiquitatem facile transferentes et ceteris et sibi ipsi inviti fraudem faciunt.

1) Hans Christian Genelli, das Theater zu Athen. Berlin und Leipzig, 1818.

2) Die XXVIII m. Oct. a. XLI., deinde saepius repetita Berolini cf. Preussische Staatszeitung 1841.

No. 301. 307. 308. 316. 317.

Alii denique Hermanni rationem ineunes pedetentimque progrediendum esse rati summam in litterarum documentis et colligendis et emendandis et explicandis operam ponendam esse censem. Atque hanc equidem solam viam esse judico, qua naviter incidentes ad id, quod propositum est, si non veloci, at certo cursu pervenire possimus. Itaque peragrandus est vastissimus veterum scriptorum campus, excutiendae vel remotissimae grammaticorum, rhetorum, lexicographorum aliorumque latebrae, quae reperiuntur testimonia ad criticam severitatem exigenda, librorum auctoritate sananda, interpretatione expedienda. Deinde quae ex variis scriptoribus fluxerunt caute debemus disponere, in aetatum discrimina candide inquirere, verborum vicissitudines probe discernere. Tali modo si firmum jecerimus litterarum fundamentum, non dubium videtur, quin artium quoque si accesserit fides multum illa rei scenicae lucis sit allatura. Quapropter ut taceam, quem fructum ex pictorum statuariorumque operibus possimus percipere, architectorum potissimum admirabilia, quae per Asiam, Graeciam, Italiam, Siciliam, Hispaniam, Galliam dispersa sunt, theatrorum monumenta accuratius, quam hucusque factum est, sunt describenda, scite examinanda, cum litterarum indicis comparanda.

Vides, quam difficile sit in hac disciplina querendi genus. Neque vero, quum cunctando equidem rem restituendam esse intellexisset, hoc specimen, quod sentio quam sit exiguum, in publico proposuisse, nisi haec scribendi mihi demandata esset provincia. Nam per hos fere quinque annos tot tamque variis negotiis sum distractus, a litterarum cultu illis mirum quantum alienis, ut per paucis tantum horis subsecivis his studiorum meorum deliciis vacare licet. Sed tamen, quod ea religione scripsisse mihi videor, ut quasi digito monstrarem, quae certa essent, quae incerta, quae obscura aliorumve virorum acumini relinquenda, hoc quantulumcunque meum opusculum iis commendatum esse volo, qui, quam ardua sit in hac re disquisitio, non ignorantes vel minimum litterarum incrementum gratulentur atque contentionis gloriaeque minus cupidi quam veritatis nescire se malint ingenue fateri, quam vana conjecturarum specie et alias et sese ipsi fallere.

Qui quidem si aut improbantes, quae scripsi, emendaverint, aut probantes confirmaverint, omninoque suas vires adjunxerint ad illustrandam hanc, quae adhuc situ squaloreque obsita est, antiquitatis partem, in magno illud deputabo lucro. Hoc autem in summis habeo votis, ut existat aliquando vir litterarum doctrina artiumque scientia conspicuus, qui in hac tanta rerum varietate, consociatis omnium, qui rei scenicae operam dare velint, studiis, indicata quadam certa via et ratione, distributis snis cuique partibus, singulorum opera in unum corpus redigendi munus in se suscipiat.

II.

De thymele.

De thymele scripserunt Genellius¹⁾, G. Hermannus²⁾, O. Muellerus.³⁾ Qui quum omnes satis habeant inquirere, in Graecorum theatro quae fuerit thymelae ratio, operaet videtur esse pretium, omnes hujus vocis quasi quasdam vicissitudines deinceps persequi. Est enim arctissime conjuncta ejus historia cum dramatis ipsius primordiis, progressu, interitu, ita, ut invicem sibi lucem afferre videantur.

Et originem quidem hujus vocis ducendam esse a θύμειον vocabulumque ipsum aram significare, ut facile intelligitur, sic veterum quoque scriptorum testimonij satis comprobatur.

Schol. ad Lucian. de saltatione c. 76. Θυμέλη, ὁ βωμὸς, ἀπὸ τοῦ θύμειον.

Suid. v. κονίστρα. ἔστι δὲ μετὰ τὴν ὁρχήστραν βωμὸς τοῦ Αἰονίου ὃς καλεῖται Θυμέλη παρὰ τὸ θύμειον. Cramer. Anecdot. Graec. e Codicibus msc. bibl. Oxon. T. II. p. 449.

18. Θυμέλαιοι οἱ βωμοὶ ἀπὸ τοῦ θύμεσθαι, ἢ τιθεσθαι. Bekk. Anecd. I. p. 42.

43. νῦν μὲν θυμέλην καλοῦμεν τὴν τοῦ θεάτρου σκηνὴν, καὶ ἔστι τε παρὰ τὸ θύμειον κέντησθαι ὁ τόπος οὗτος.⁴⁾

Constat autem, inde ab antiquissimis temporibus Graecorum Deos cantu et saltatione esse celebratos, atque Dionysi in primis aras anniversariis quae fiebant sacris solemnni pompa, jucundissimis choris festivissimoque tibiarum vocumque concentu percrepisse. Namque Silenorum Satyrorumque habitum imitantes circa fumantes dei aras choros ducebant, quibus laudes canerent, dolores lugerent, victorias celebrarent, argumenta denique rerum sive feliciter sive infeliciter a Baccho gestarum imitarentur.

Euanth. de tragedia et comoedia c. 2.: Comoedia fere vetus, ut ipsa quoque olim tragedia, simplex carmen fuit, quod chorus circa aras fumantes, nunc spatiatus, nunc consistens, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat.

Mox ut leve et mobile est Graecorum ingenium, Bacchico furore correpti, sacrificio facto in ipsam

1) Genelli, d. Theater zu Athen, p. 72.

2) Hermanni opuscula. T. VI. p. 145 sqq.

3) K. O. Mueller, Aeschylus Eumeniden, p. 81. et Anhang zu dem Buche: Aeschylus Eumeniden, p. 35. squ.

4) Hac arae significatione praedita invenitur in iis, quos O. Muellerus contulit, scenicorum poetarum locis. Eurip. Suppl. 65. ὅσιως οὐχ, ὑπὸ ἀνάγκας δὲ προσπίπτοντα προσαιτοῦσ' ἔμολον δεξιπύροντος θεῶν θυμέλαις. Ion. 46. 115. 215. Electra 717. Iphigen. Aul. 151. plurali plerumque numero. Aesch. Suppl. 654. Καὶ γεραροῖσι προσβυτοδόκοι γεμόντων θυμέλαι, φλεγόντων θ', ὡς πόλις εὖ νέμοιτο.

aram (thymelen) vel, quod credibilius videtur, in mensam, quae mactandis victimis inserviret, adscendebant interque cantandum jocosos miscebant sermones¹⁾

Orion. Theb. Etymol. p. 72. θυμέλη παρὰ τὸ ἐπ' αὐτῆς τιθεσθαι τὰ θνόμενα ἵερεῖα· τραπέζα δὲ ἡν πρὸ τούτου, ἐφ' ἣς ἐστῶτες ἐν τοῖς ἀγροῖς ἥδον, μήπω τάξιν λαβούσης τῆς τραγῳδίας.

Kyrill. Lexic. Msc. apud Albert. ad Hesych. I. p. 1743. θυμέλη, τράπεζα, ἐφ' ἣς ἐστῶτες ἐν τοῖς ἀγροῖς ἥδον et θυμέλαι, τράπεζαι, δοχήσαι. θυμέλη καὶ ἡ τράπεζα.

Etymolog. Magn. p. 458. 30. ἡ τοῦ θεάτρου μάκρος νῦν ἀπὸ τῆς τραπέζας ὠρόμασται· παρὰ τὸ ἐπ' αὐτῆς τὰ θύνη μεριζεσθαι τούτεστι τὰ θνόμενα ἵερεῖα· τραπέζα δὲ ἡν, ἐφ' ἣς ἐστῶτες ἐν τοῖς ἀγροῖς ἥδον, μήπον τάξιν λαβούσης τραγῳδίας.

Lexic. Gudian p. 266. 42. θυμέλαι, τράπεζαι, δοχήσαι.

Etenim in his omnibus locis, quos ex uno fonte repetendos esse clarissime appetit, magna inest rerum conturbatio. Docent enim, thymelen fuisse mensam aliquam, in qua caederentur victimae, in eamque adscendere solitos fuisse antiquissimis temporibus, quicunque inter saltandum atque cantandum ex tempore sermones conferrent. At primum quidem quomodo thymele illa, quae apud poetas scenicos δεξιπνος²⁾ nominatur, quae appellatur apud Euanthium fumans³⁾, haec, inquam, thymele quomodo mensa esse poterat, in qua secarentur hostiarum carnes? Deinde ne hoc quidem probabile est, adscendisse Bacchi cultores, qui quidem celebrarent Deum, in ipsam ejusdem, circa quam chori ducebant, aram. Nisi forte de quibusdam thymelae gradibus sermonem esse putabis. Quod si verum esset, quamquam de hac quidem re tacent omnino illa testimonia, non minus inepta videretur illa mensae significatio.

Itaque confusae esse aerae mensaeque videntur notiones probeque discernenda ara (thymele), circa quam choros ducebant a mensa, in qua caedebantur victimae, et quam ad eos, quos dixi, sermones adhibitam fuisse consentanum est. Quod si minus ipsi rerum proabilitati cre-

1) Unde fluxisse videtur significatio jocosi, quae inest in adjectivo θυμελικός. Cf. Cramer Anecd.

Graec. e codic. Oxon. vol. I. p. 7. Ἰδιον δὲ κωμῳδίας μὲν τὸ μεμήμενον ἔχειν τοῖς σκόμμασι γέλωτα, τραγῳδίας δὲ πένθη καὶ συμφοράς. σατυρικῆς δὲ οὐ τὸ ἀπὸ πένθοντος εἰς χαρὰν ἀπαρτᾶν, ὡς ὁ Εὐριπίδον Ὁρέστης καὶ Ἀλκηστης καὶ ἡ Σοφοκλέους Ἡλέκτρα, ἐκ μέρος, ὥσπερ τινὲς φαστὴν, ἀλλ' ἀμιητὴ καὶ χαριέντα καὶ θυμελικὸν ἔχει γέλωτα. eod p. 8. τέλος δὲ τραγῳδίας μὲν κύειν τὸν βίον, κωμῳδίας δὲ συνιστᾶν αὐτὸν, σατυρικῆς δὲ τοιούτοις θυμελικοῖς χαριεντισμοῖς καθηδύνειν αὐτόν.

2) Euripid. Suppl. 65.

3) Euanth. de tragodia et comœdia c. 2.

dere volueris, at certe fidem non denegabis luculentissimo Pollucis testimonio, qui quum paulo ante de thymele esset locutus, mensam illam non thymelem, sed θύμεν vocatam esse dicit.

Polluc. Onomastic. IV. 123. ἡ δὲ ὄρχήστρα τοῦ χοροῦ, ἐν ᾧ καὶ ἡ θυμέλη, εἴτε βῆμα τι ὄντα, εἴτε βωμός· ἐπὶ δὲ τῆς σκηνῆς καὶ ἀγνεύες ἔκειτο βωμὸς πρὸ τῶν θυρῶν· καὶ τράπεζα, πέμπατα ἔχοντα, ἡ θεωρίς ὠνομάζετο, ἡ θυωρίς. Ἐλεός δ' ἦν τράπεζα ὁρχαῖα, ἐφ' ἣν πρὸ Θέσπιδος εἰς τις ἀναβὰς τοῖς χορευταῖς ἀπεκρίνατο.

Placuit haec confabulandi ratio et quum antea data occasione ex tempore inter cantandum cum choro contulissent sermones, mox diverbia quaedam opera dedita arteque composita carminibus interserebant sejunctisque chori et histrionis partibus dramatis fundamenta jaciebant. Etenim auctus est deinceps actorum numerus, traducta res a Dionysio ad ceteros Deos, heroes, triplex extitit poesis dramaticae genus, tragicum, satyricum, comicum. Atque, quemadmodum apud Athenienses ipsa exculta est fabularum indoles, sic externa quoque mutata est spectaculorum ratio. Exstructa enim scena, primum in tempus illa quidem et subitarii, ut Taciti verbis¹⁾ utar, gradus, non multo post, quum Aeschylo Pratinaque fabulas docentibus corruissent²⁾ lignea illa, quae vocabantur ἵκρια²⁾, ex lapide coeptum est aedificari theatrum, in quo non solum fabulae ederentur, sed etiam cyclici ut antea ducerentur chori omniaque denique fierent rerum musicarum certamina.

Sed quoniam tota res scenica ex Dionysii sacris orta erat, manebat in theatro pristina dei religio. Namque quum tres factae essent theatri partes, una actorum, quae vocatur scena, altera chori, quae nominatur orchestra, tertia spectatorum, quod est theatrum, et quum primordia poesis dramaticae a choro instituta essent, in media, quae chori est, parte collocata est ara (thymele), circa quam saltantes Deum carminibus celebrabant.

Cf. Polluc. Onomastic. IV. 123. καὶ σκηνὴ μὲν, ὑποκριτῶν ἴδιον· ἡ δὲ ὄρχήστρα, τοῦ χοροῦ, ἐν ᾧ καὶ ἡ θυμέλη, εἴτε βῆμα τι ὄντα, εἴτε βωμός. Schol. ad Aristid. T. III. p. 535. 536. ed. Dindorf τὴν πρὸ θεάτρου: ἐν τῇ κρείττον τάξι. Α. ἄμεινον οὖν ἡμᾶς ἔξεργάσασθαι, ὅτι ὁ χορὸς, ὅτε εἰςήει ἐν τῇ ὄρχήστρᾳ, ἡ (ἥ) ἐστι θυμέλη, ἐξ ἀριστερῶν αὐτῆς εἰςήρχετο, ἥντα εὑρεθῆ ἐκ δεξιῶν τοῦ ὄρχοντος.

Jam vero etiamsi in orchestra fuisse thymelen inter omnes constat, tamen quo loco illa fuerit

1) Taciti Ann. XIV. 20.

2) Liban. Hypoth. Demosth. Olynth. I. p. 8. Reisk. οὐκ ὕποτος τὸ παλαιὸν θεάτρου λιθίνον παρ' αὐτοῖς, ἀλλὰ ἔνδιναν συμπτηγγυμένων ἵκριων. Phot. p. 106. 2. ἵκρια, τὰ ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἀφ' ᾧν ἐθεῶντο τοὺς Διονυσίακους ἀγῶνας πρὸ γένετος κατασκευασθῆναι τὸ ἐν Διονύσον θέατρον. Suid. ν. ἵκρια. Eustath. Odys. Γ p. 1472.

3) Suid. ν. Αἰσακύλος et ν. Πρατίνας.

posita, quae ejus fuerit forma, qui usus, adeo ambigitur, ut perdifficile videatur in tanta cum fontium penuria tum conjecturarum farragine, quid verum sit, assequi. Quae cum ita sint, nihil antiquius habendum esse existimo, quam ut quae existunt testimonia summa curatione summaque religione examinentur, repudientur autem atque rejiciantur vana, quae solis conjecturis nituntur, commenta.

Videamus autem primum, quo orchestrae loco fuerit collocata thymele. Et Genellius¹⁾ quidem, nulla omnino auctoritate allata, thymelen in media orchestra collocatam fuisse dicit. Idem censuerunt Hirtius²⁾, idem Muellerus³⁾. Neque vero illud non recte. Quamquam quum neglexissent illud testimonium, ex quo appareret dupli sensu orchestrae vocem usurpatam esse, altera latiori, altera arctiori, omnia mirum in modum turbaverunt. Est autem ille locus, quo totam fere suam sententiam Hermannus⁴⁾ firmavit, *Etymol. Magn.* p. 743.

σκηνή ἐστιν ἡ μέση χώρα τοῦ θεάτρου παρασκήνια δὲ τὰ ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῆς μέσης χώρας κάγκελλα. ἡ ἵνα σαφέστερον εἴπω, σκηνὴ ἡ μετὰ τὴν σκευὴν εὐθὺς, καὶ τὰ παρασκήνια· εἰτα ἡ δοχήστρα, αὗτη δέ ἐστιν ὁ τόπος ὃ ἐξ σανίδων ἔχων τὸ ἔδαφος, ἐφ' οὗ θεάτροιζουσιν οἱ μῖμοι· εἰτα μετὰ τὴν δοχήστραν βωμὸς ἡν τοῦ Διονύσου, τετράγωνον οἰκοδόμημα κενὸν ἐπὶ τοῦ μέσου, ὃ καλεῖται θυμέλη παρὰ τὸ θύειν· μετὰ δὲ τὴν θυμέλην ἡ κονίστρα τοντέστι τὸ κάτω ἔδαφος τοῦ θεάτρου.⁵⁾

Etenim scenam, vel potius proscenium excipiebat orchestra, scalis cum scena conjuncta⁶⁾. Orchestra autem, Hermanni sententia, aut ea vocabatur theatri pars, quae totum amplectitur spatium inter proscenium et spectatorum sedilia situm (quod alias appellabatur *κονίστρα*), in quo medio thymelen collocatam esse verisimile⁷⁾ est, aut certa quaedam ejusdem spatii pars, quae inde a proscenio usque ad thymelen porrigitur (cf. εἰτα μετὰ τὴν δοχήστραν βωμὸς

1) Genelli, d. *Theater zu Athen.* p. 72.

2) Hirt, *Gesch. der Baukunst.* Th. III. p. 91.

3) I. l. Anhang zu dem Buche: *Aeschylos Eumeniden.*

4) Hermanni opusc. T. VI. p. II. p. 145 squ.

5) Has emendationes, quarum mentio facta erat in: *Jenaische Literat.-Zeit.* No. 114. 1842, summa quae est benivolentia, vir humanissimus mecum communicavit. Olim enim legebatur: *σκηνή ἐστιν ἡ μέση θύρα τοῦ θεάτρου, περισκήνια (Suid. παρασκήνια).* δέ τὰ ἔνδοθεν (τὰ ἔνθεν καὶ ἔνθεν Suid.) τῆς μέσης θύρας, καλκᾶ κάγκελλα· καὶ ἵνα σαφέστερον εἴπω, σκηνὴ ἡ μετὰ τὴν σκηνὴν εὐθὺς καὶ τὰ περισκήνια (Suid. παρασκήνια) ἡ δοχήστρα. — μετὰ τὴν θυμέλην ἡ δοχήστρα.

6) Cf. *Athen. de machinis in veterum mathematicor. opp. ed. Paris.* MDCXCIII. fol. p. 8. κατεσκεύασσαν δέ τινες ἐν πολιορκίᾳ κλιμάκων γένη παραπλήσια τοῖς τιθεμένοις ἐν τοῖς θεάτροις πρὸς τὰ προσκήνια τοῖς ὑποκριταῖς.

7) Nam certi nihil traditur.

ην). Et de ea quidem hoc nostro loco sermo est. Nimirum, haec est enim Hermanni sententia¹⁾, ut chori cyclici toto utebantur majori illo spatio, cf. Phrynic. s. v. θυμέλην συμέντοι, ἐνθα μὲν κωμῳδοὶ καὶ τραγῳδοὶ ἀγωνίζονται, λογεῖσον ἔρεις, ἐνθα δὲ οἱ αὐλῆται καὶ οἱ χοροί, δοξήστρων (ubi de tibicinum chorus et de choris cyclicis videtur esse sermo), sic in fabulis edendis chorus, quippe qui non tam lato spatio sejunctus esse posset a scena et ab actibus, in minori illo spatio versabatur, tabulis strato (ἐξ συρίδων ἔχων τὰ ἔδαφος) et fortasse aliquantum editiori. Et profecto, si haec vera est sententia, (est autem maxima ex parte illius, quem aituli, loci auctoritate comprobata, ita ut admodum pauca ex conjectura addita veterum scriptorum auxilium exspectent), permultae simul sublatae sunt, quas mox videbimus, difficultates.

Neque enim minus exilia sunt ea, quae de thymelae forma traduntur. Nam duo, quod eisdem sciam, inveniuntur vestigia, alterum in Etymol. Magn. p. 743. εἴτα μετὰ τὴν δοξήστρων βοιμὸς ἡν τοῦ Αἰονέσου, τετράγωνον οἰκοδόμημα, περὸν ἐπὶ τοῦ μέσου, ὃ καλεῖται θυμέλη παρὰ τὸ θύειν,

alterum in Polluc. Onomast. IV. 123. ἡ δὲ δοξήστρων τοῦ χοροῦ, ἐν ᾧ καὶ ἡ θυμέλη εἴτε βῆμά τι οὖσα, εἴτε βωμός.

Ex quibus nihil aliud cognoscitur, quam thymelen aram fuisse quadratam, excavatam. Quamquam, quod Pollux dicit εἴτε βῆμα, nescio an in eo lateat non leve quoddam indicium, quo aram illam gradibus instructam fuisse intelligatur²⁾. Cui sententiae fidem afferunt verba

Isidor. origg. XVIII. 47. Thymelici autem erant musici scenici, qui in organis et lyris et citharis praecinebant et dicti thymeliei, quod olim in orchestra stantes cantabant supra pulpitum, quod thymele vocabatur.

Sed sunt hae tamen conjecturae, certi nihil.

Quodsi ténemus, chorū tragicum, comicum, satyricum in ea tantum orchestrae parte versatum fuisse, quae a scena usque ad thymelen porrigitur, illud certe appareat, aram in eo extremo orchestrae termino constitutam nullius fabulae scenicam conformatiōnē conturbasse.

¹⁾ Juvat ipsa Hermanni, quae de hac re scripsit, verba afferre: Wenn Vitruv die Orchestra 10 Fuss niedriger als das Proscenium angiebt, so sprach er nur von dem steinernen Gebäude und gebrauchte also Orchestra in weiterer Bedeutung von dem ganzen untern Raume des Theaters zwischen dem Proscenium und den Sitzen. Zum Behuf der Aufführung von Schauspielen aber wurde auf diesem Platze ein nur ein paar Stufen niedrigerer breterner Boden an das Proscenium auf Balken errichtet, der bis an die Thymele, die in der Mitte jenes Raumes stand; dieser Breterboden hiess in engerer Bedeutung Orchestra und wird gemeint, wo von Schauspielen die Rede ist. — „Die Orchestra der Schauspiele war also etwa um 7 oder 8 Fuss höher als jene in weiterer Bedeutung genannte Orchestra, und nur halb so gross, indem sie nur bis an die Thymele reichte.“

²⁾ Plutarch. Demetr. c. 12. τοῦτον μὲν οὖν ἐπίτηδες ἐξέτινον παρεθίζαμεν, τῷ ἀπὸ τοῦ βήματος, τῷ ἀπὸ τῆς θυμέλης, sibi opponuntur βῆμα et θυμέλη. Sed hoc loco θυμέλη pro omni re scenica usurpata est.

At contra, si cum Genellio, Hirtio, Muellero dramaticum quoque chorū magnum illud orchestrae spatium tenuisse, in eoque medio thymelen collocatam esse statuimus, quid tandem fiet de illa Dionysi ara in iis potissimum fabulis, in quibus, veluti in Aeschyli Prometheo, nullus poterat esse arae usus?

Accedit, quod cetera quoque veterum scriptorum, quae de thymelae usu relictā sunt testimonia, Hermanni sententiae egregie patrocinantur. Nam quum Muellerus aram illam, in media orchestra positam, gradibus instructam fuisse sibi persuasisset, in illis gradibus constitisse dicit vel coryphaeum¹⁾, vel totum chorū, vel singulas choreutas cum tibicinibus. At hoc etsi verum esse potest, tamen aut fallor aut veterum quidem auctoritate nititur nulla. Neque enim ab aliis quidquam allatum est, neque ego praeter unum locum invenire potui, in quo hujus rei mentio fierit. In quo tantum abest ut choreutae in thymele collocati fuisse tradantur, ut de solis rhabdophoros sit sermo. Est autem

Schol. ad Arist. Pac. v. 735. (T. I. p. 680 ed. Dindorf).

*Χοῖν μὲν τύπτειν τὸν δαρδούχον, εἴ τις κωμῳδοποιητής
αὐτὸν ἐπήνει πόδες τὸ θέατρον παραβάτην ἐν τοῖς ἀναπαίστοις.*

Quae sic interpretatur scholiasta:

ἔχοντ' μὲν, εἴ τις κωμῳδοποιητής ἔκπτειν παραβάσιν χράμενος, τὸν δαρδούχον διεῖνον τύπτειν αὐτὸν, ὃς ἀπρεπές τι μεταχειρίζομενος. — ἡ σαν δὲ ἐπὶ τῆς θυμέλης δαρδοφόροι τινὲς, οἱ τῆς εὐκοσμίας ἐμέλοντο τῶν θεατῶν. ἡ δαρδούχον δὲ εἶπε τοὺς κοιτᾶς τοῦ ἄγωνος, οὓς δὲ ποιητὴς αἰσουνήτας εἶπεν.

Cf. Suid. v. v. δαρδούχοι. Schol. Platon. p. 99. ed. Rhunken. *δαρδούχοι ἄνδρες τῆς τῶν θεάτρων εὐκοσμίας ἐπιμελούμενοι.*

Quid igitur? Rhabduchos illos, quibus modestiae, decoris, ordinis in theatris tuendi provincia est demandata, numne probabile est una cum choreutis atque tibicinibus in media orchestra, in thymelae gradibus, constitisse? Non mihi quidem videtur, sed tamen, quum nolimus nostram opinionem in veterum rem scenicam inferre, concedamus illud. Hoc vero, si quid video, fieri omnino non potuit, ut eum locum tenerent, quem Genellius, Hirtius, Muellerus, neglecta duplii orchestrae significatione, in fabulis quoque agendis thymelae assignaverunt. Nam si erant in media chori dramatici orchestra, si chorus circa ipsam illam aram saltabat, quomodo illi publici ordinis curatores videre poterant quaecunque in theatro siebant, si videbant, quomodo coercere poterant spectatorum turbas ita, ut non totus turbaretur chorus, tota fabula? Sin vero, ut ante exposuimus, orchestra, ut ita dicam, dramatica, minor illa, discernenda est a majori illa, in qua cyclici chori saltabant, atque si in extrema ejus parte quasi terminus collo-

1) Principem chori ducem coryphaeum, at non ἡγεμονα appellatum esse, et unum coryphaeum, plures ἡγεμονα fuisse, demonstravi in dissertatione mea inaugurali: *Rerum scenicarum capita selecta.* Berol. 1835. p. 9—14.

cata erat thymele, cum ipsis rhabdophoribus scena non minus quam theatrum patebat, tum chorus non prorsus sejunctus erat a thymelae aditu.

Videtur autem illud proxime a vero abesse, in tragoeidii quidem aut nunquam aut rarissime chorūm vetere illa thymele usum esse, neque omnino aram illam, quam omnes scirent esse Dionysi, pro cuiusque fabulae argumento modo Apollinis modo Jovis fuisse, tum tumuli tum aliam quandam speciem habuisse, sed ubi ara opus esset, de aliis quibusdam cogitandum esse, pro ea, quae flagitatur, scenae orchestraeque conformatio aut in scena aut in orchestra positis. At contra in comoedia idque in parabasi potissimum, (in qua poeta, neglecta fere fabula, suas res cum spectatoribus agebat), chorūm ad thymelen, vetus illud religionis monumentum, accessisse, cum ex eo, quem attuli, scholiastae loco, tum ex Crameris intelligitur Anecd. Parisiens vol. I. p. 7. Etenim Alcibiades, quum acerbissime exagitatus esset ab Eupolide militesque jussisset eum corripere atque mari aliquantum temporis immersum tenere; „Tu quidem“, inquit, „thymele me immerge, ego te in mari madefaciam.“

βάπτε με σὺ θυμέλαις, ἐγὼ δέ σε ἀλμυροῖς ὕδασι κατακλύσω.

Nempe θυμέλαι dictae sunt pro chorūs comicis, qui parabasi, primaria antiquae comoediae parte, ad aram saltantes, perstringebant maxime eos, qui in re publica poetis male videbantur versari.

Sed juvat totum hunc locum describere ad illustrandam eam, quae est de Eupolidis morte, narrationem apprime appositum. *Ἐπειδὴ δὲ αὐτὸς (Εὔπολις) εἰς Ἀλκιβιάδην ἐμπαράσσενος πρὸς πόλεμον ὡς τυραννίας προσδοκῶμενης, κελεύει τοῖς στρατιώταις συλλαβεῖν αὐτὸν· οἱ δὲ συλλαμβάνοντες αὐτὸν, ὡς μέν τινες φασιν, παντελῶς ἀπέπνιξαν αὐτὸν εἰς τὴν Θάλασσαν, ὡς δὲ ἄλλοι, δεδεμένον αὐτὸν σχοινῷ ἀνῆγον τε καὶ κατῆγον εἰς τὴν Θάλασσαν· οὐ μέντοι καὶ ἀπέπνιξαν παντελῶς, τοῦ Ἀλκιβιάδου λέγοντος „βάπτε με σὺ θυμέλαις, ἐγὼ δέ σε ἀλμ. ὕδ. κατακλ.“ Καὶ οὕτως δὴ ἦ διαφθαρέντος τοῖς κίμαισι πινγελῶς, ἢ καὶ περισωθέντος φρίγισμος ἔθετο Ἀλκιβιάδην μηκέτι φανερῶς ἀλλὰ συμβολικῶς κομιζεῖν.*

Sed haec hactenus. Jam vero latius patere coepit thymelae significatio, ut fere omnino obsolesceret primaria vocis vis atque potestas. Neglecta enim arae significatione, thymele,

1) Ad Eupolidis fabulam, quae inscribitur *Βάπται*, est referendum. De qua cf. Meineke, Quaestio num scenicarum spec. I. Berol. 1826 p. 36. 42. 43., qui ex Aristid. schol. T. III. p. 444. ed. Dindorf, hoc distichon edidit:

*Βάπτες μὲν θυμέλησιν, ἐγὼ δέ σε κύμασι πάντοιν
βαπτίζων δὲ κανένα νάμασι πικροτέροις.*

correcta scholiastae lectione *βάπτε με ἐν βαπτίσιν*. At scribendum videtur:

*Βάπτε με σὺ θυμέλησιν, ἐγὼ δέ σε κύμασι πόντον
βαπτίζων δὲ κανένα νάμασι πικροτέροις,
cui scripturae et Aristidis scholium et locus noster Cramer. Anecd. favet.*

quod ara illa princeps erat orchestrae locus, pro ipsa orchestra dicta est; ita ut quicunque in orchestra versabantur, choreutae, tibicines quum oppoñerentur actoribus, quorum erat scena, thymelici sint appellati. Testis est Vitruvius V. 7 (vulgo 8) ed. Schneider, qui quum loquatur de discriminis, quod inter theatrum Romanorum et Graecorum intercedat, sic rem absolvit: „Ita a tribus centris hac descriptione ampliorem habent orchestram Graeci et scenam recessiorem minoreque latitudine pulpitum, quod λογίσιον appellant, ideo quod apud eos tragici et comici actores in scena peragunt, reliqui autem artifices suas per orchestram praestant actiones. Ita que ex eo scenici et thymelici graece separatis nominantur¹⁾. Idem discriminem deprehenditur in Anthol. Palatin. ed. Jacobs T. I. p. 312 No. 24.

τὸν σὲ χοροῖς μέλψατα Σοφοζέα, παιδα Σοφίου,
τὸν τραγικῆς Μούσης δόστέον Κερσόπιον,
πολλάκις ἐν θυμέλησι καὶ ἐν σκηνήσι τεθῆλως
βλασπὸς Αχαορίτης κισσός ἔρεψε κόμην,
τύμπος ἔχει, καὶ γῆς ὀλίγον μέρος· ἀλλ᾽ ὁ περισσός
αὐτὸν ἀθανάτοις δέρζεται ἐν σελίσι.

Denique ejusdem significationis exemplum suppeditat Athen. XIV. p. 617. c., qui fragmentum servavit alicujus carminis hyporchematici a Pratina compositi:

Τις ὁ θύρων βος ὄδε; οὐ τάδε τὰ χορεύματα;
Τίς ὑβρις ἔμολις ἐπὶ Ιιονοσιάδα πολυπάταγα θυμέλαν;

ubi thymelen pro orchestra positum esse ex praegressis Athenaei verbis satis elucet²⁾:

Ἡράτιας δὲ ὁ Φλιάσιος, αὐλητῶν καὶ χορευτῶν μισθοφόρων κατεχόντων τὰς ὁρχήστρας
ἀγανακτεῖν τινας ἐπὶ τῷ τοὺς αὐλητὰς μὴ συναντεῖν τοῖς χοροῖς, καθάπερ ἦν πάτοιον, ἀλλὰ τοὺς χοροὺς συνάδειν τοῖς αὐληταῖς.

Atque his quidem terminis in Graecorum theatro thymelae vis atque potestas videtur esse circumscripta. Jam ad Romanos transeundum est. Quorum theatrum a Graecorum theatro quum maxime differet, thymelen quoque apud eos aliud quid sonasse sponte patet. Etenim quum apud Graecos orchestra esset chori atque tibicinum, apud Romanos adeo mutata est ejus usus, ut senatoribus esset data, in qua honoris causa considerent.

Cf. Vitruv. lib. V. c. 6. Ita latius factum fuerit pulpitum quam Graecorum, quod omnes artifices in scena dant operam: in orchestra autem senatorum sunt sedibus loca designata: et ejus pulpeti altitudo sit ne plus pedum quinque, uti qui in orchestra sederint, spectare possint omnium agentium gestus.³⁾

1) Cf. Toecken, Preussische Staatszeitung 1841 No. 308. Ueber die Eingaenge zu dem Proskenium und der Orchestra des alten Griechischen Theaters.

2) Aliter interpretatus est hunc locum O. Mueller, Anhang zu dem Buche: Aeschylos Eumeniden p. 36.

3) cf. Sueton. Jul. c. 76. Octav. c. 35. Cordus Cremutius, ne admissum quidem tunc quemquam

— XIII —

Quae igitur apud Romanos thymelae fuit ratio? Sublatamne eam in theatro Romano esse censemus? An inter eas fuit aras, quibus Romanorum scena instructa esse perhibetur a

Donat de tragoeed. et comoed. In scena duae arae poni solebant, dextra Liberi, sinistra ejus Dei, cui ludi siebant. cf. Lactant. institt. VI. 20.

Non veri illud est simile, neque ullo veterum testimonio comprobatum. Immo, quum antiquissimis temporibus apud Graecos et chori et tibicines ad thymelen constitissent, in theatro autem Romano cum orchestra sublatus esset vetus thymelae locus, re²⁾) prorsus mutata, nil manxit nisi nomen. Quo quidem nomine primum ea insignita est scenae pars, in qua certabant tibicines, citharoedi, omnes denique, qui apud Graecos orchestram tenuerant, musici.

Cf. Isidor. Orig. XVIII. 47. Thymelici autem erant musici scenici, qui in organis et lyris et citharis praecinebant et dicti thymelici, quod olim in orchestra stantes cantabant supra pulpitum, quod thymele vocabatur.

Thom. Magist. Θυμέλην οἱ ἀρχαῖοι ἀντὶ τοῦ θυσίαν εἰπόντες, οἱ δὲ νῦν εἰπόντες εἰπὲ τὸν θεάτρῳ τόπον, ἐφ' ὃς αὐλῆται καὶ κιθαρῳδοί καὶ ἄλλοι τινὲς ἀγωνίζονται μουσικήν.

Schol. Lucian. de saltat. c. 76. Θυμέλη, ὡς βοιωτὸς ἀπὸ τοῦ θύειν. Θυμελίη δὲ αὐλῆται τοι.

Deinde quum imperatorum temporibus comoedia atque tragedia magis magisque paulatim cederent pantomimis, totaque scena saltatione et musica streperet, scena ipsa nomen invenit thymelae, et quicunque in scena operam dabant sive comoediae, sive tragediae, sive Atellanis, sive pantomimis, sive mimis, omnes appellabantur thymelici.

Bekker Anecd. I. p. 292. s. v. παρασκήνια: σκηνὴ δὲ ἐστὶν ἡ νῦν λεγομένη θυμέλη. cf. Etymol. Magn. s. v. παρασκήνια.

Bekk. Anecd. I. p. 42 s. v. Θυμέλη: νῦν μὲν θυμέλην καλοῦμεν τὴν τοῦ θεάτρου σκηνήν, καὶ ἔπειτα παρὰ τὸ θύειν πεπλήσθαι ὁ τόπος οὗτος.

Phrynicus, qui maximam aetatum rationem habuit omnesque vocis vicissitudinis rectissime observavit p. 163 ed. Lobeck Θυμέλην: τοῦτο οἱ μὲν ἀρχαῖοι ἀντὶ τοῦ θυσίαν εἰπόντες οἱ δὲ νῦν εἰπὲ τοῦ τόπου ἐν τῷ θεάτρῳ, ἐν ὃς αὐλῆται καὶ κιθαρῳδοί καὶ τραγῳδοί ἀγωνίζονται. Quibus verbis mox addit, quae antea fuerit ratio:

Σὺ μέντοι ἔνθα μὲν κωμῳδοί καὶ τραγῳδοί ἀγωνίζονται λογεῖν ἐρεῖς, ἔνθα δὲ οἱ αὐλῆται καὶ οἱ χοροί δοχήστραν, μηδὲ λέγε δέ θυμέλην.

Pantomimus vocatur thymelicus apud Orell. inscriptt. latin. T. I. p. 453. No. 2589.

ATHENODORUS || XYSTICUS || PARIDI THYMElico || BENEMERENTI || FECIT.

senatorum, nisi solum, et praetentato sinu. Quosdam ad excusandi se verecundiam compulit: servavitque etiam excusantibus insigne vestis et spectandi in orchestra, epulandique publice jus. 44. Claud. 21. Ludos dedicationis Pompejani theatri, quod ambustum restituerat, e tribunali, posita in orchestra commisit. c. 25.

quae inscriptio non dubium videtur, quin ad pantomimum referenda sit Paridem aut majorem illum¹⁾, qui Neronis fuit aequalis, aut minorem²⁾ eumque illustriorem, qui Domitiani aetate floruit, urbis delicias, Romanique decus theatri³⁾.

Latissime denique thymelae atque thymelicorum notio patet apud Salvianum ad Treverenses p. 152: „Si quando usu venerit, quod scilicet saepe evenit, ut eodem die et festivitas ecclesiastica et ludi publici agantur, quaero ab omnium conscientia, quis locus majoris Christianorum virorum copias habeat, caveane ludi publici, an atrium Dei? dicta Evangelicorum magis diligent, an thymelicorum?

Nam quid tandem hoc loco thymelici, nisi in universum artifices scenici?

Haec habui, quae de thymelae usu scenico disputarem. Constat igitur, (ut breviter repetamus, quae deinceps sunt exposita), idque certa testimoniorum fide, thymelen proprie fuisse aram, eamque, exstructo apud Graecos theatro, in orchestra positam, mox ipsius orchestrae vim obtinuisse ac potestatem, in Romanorum autem theatro primum eam fuisse scenae partem, ubi artifices musici versarentur, deinde totam significasse scenam.

1) Cf. Tacit. ann. XIII. 19. 22. 27. Sueton. Ner. c. 54.

2) Juven. sat. VI. 87. VII. 87. Sueton. Domit. c. 3.

3) Martial. lib. XI. 14. Quisquis Flaminiam teris viator

Noli nobile praeterire marmor.

Urbes delitiae, salesque Nili,

Ars et gratia, lusus et voluptas,

Romani decus et dolor theatri,

Atque omnes Veneres, Cupidinesque,

Hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro.

III.

De tripli pantomimorum¹⁾ genere.

Athen I. p. 20. d. c. *Tῆς δὲ κατὰ τοῦτον ὁργίσεως τῆς Ἰταλικῆς²⁾ καλομέ-
της πρῶτος εἰσηγήθης γέγονε Βαθύλλος Ἀλεξανδρεὺς, ὃν φησι τομίως ὁργή-
συσθαι Σθένυζος· τοῦτον τὸν Βάθυλλόν φησιν Ἀριστόντιος καὶ Πυλά-
δην, οὗ δοτί καὶ σύγχρονα περὶ ὁργίσεως, τὴν Ἰταλικὴν ὁργησιν
συστήσασθαι ἐξ τῆς κωμικῆς, ἥ ἐκαλεῖτο κόρδαξ, καὶ τῆς τρα-
γικῆς, ἥ ἐκαλεῖτο ἐμμέλεια, καὶ τῆς σατυρικῆς, ἥ ἐλέγετο σίκιννις.*

Postquam primo imperatorum seculo apud Romanos obmutescere coeperunt comoedia atque tragœdia, ipsaeque propter incommodam jocorum procacitatem coercitae sunt Atellanae³⁾, sola fere eaque recens inventa in theatro regnabat pantomimorum ars. Quae nata sub Augusto⁴⁾, ab imperatoribus maximam partem aucta, mox permagna cepit incrementa nimiumque quantum per plura deinceps secula omnium animos devinxit. Saltabant imperatores, imperabant saltatores (pantomimi), indies gliscebat non modo in Italia⁵⁾, sed etiam in Asia, Africa⁶⁾, Graecia, aliis terris, effeminatus spectaculorum furor adeo, ut his potissimum illecebris extinctam esse pristinæ frugalitatis memoriam, corruptos mores, pessumdatam civitatem, rempublicam ruisse clamitarent illorum temporum scriptores. Sed quamvis cum ceteros tum Ecclesiae in primis patres contra illud artificium non sine causa declamassemus et theatrum, quod eodem streperet, consistorium impudicitiae⁷⁾ diabolique officinam nominasse putandum sit, non minus tamen recte in

1) Negat Langius (*Vermischte Schriften* p. 53.) vocabulum pantomimi de artificio ipso usurpatum fuisse.

At frusta. Cf. Plin. *Natur. Hist.* VII. 54. „Et quos nostra adnotavit actas,“ (sermo est de mortibus, quas dicit repentinis), „duo equestris ordinis in eodem pantomimo mythico, tum forma praecellente (obierunt).“

2) Sic legendum esse pro τραγικῆς infra probare conabor.

3) Sueton. *Caligul.* c. 27. Atellanae poetam, ob ambigi joci versiculum, media amphitheatri arena igni cremavit.

4) Ad unum omnes Bathyllum et Pylaem primos hanc saltationem sub Augusto instituisse consentiunt cf. Athen. I. 20. c. f. Lucian. *de sallat.* c. 34. Zosim. *hist.* I. p. 4. ed. Steph. Suid. s. v. ὄργ. παντόμ. et s. v. Αθηνόδωρ.

5) Rhein. Mus. 1833. I. Heft p. 72. 73.

6) Augustin. *de doctr. christ.* II. 38.

7) Tertullian. *de spectac.* p. 269. ed. Paris. Chrysost. *expos. psalm.* VIII. vol. V. p. 77.

muta illa eademque loquacissima pantomimorum saltatione sublimioris cujusdam artis vestigia jam inter veteres Lucianus¹⁾ et Libanius²⁾ videntur perspecta habuisse. De qua re utut et inter nos homines et inter veteres scriptores discrepant iudicia, profecto, quod tantum saltatores (pantomimos) in imperio Romano valuisse res est testata, non ineptum est quaerere, quae fuerint illius artis principia, quae indoles, quae genera, quae species. Quae quidem quum superioribus seculis satis bene ex aliqua parte exposuisset vir elegantissimi judicii, Salmasius³⁾, nostra memoria multo praestantius explicuit, vir doctissimus Grysar⁴⁾ qui in duobus libellis suis veterum, quae dispersa sunt, testimonia et diligentissime collegit, et aptissime disposuit, et clarissime illustravit, sic ut totam rem sin minus absolvisse, at certis fundamentis primas videretur substruxisse. Quapropter si quis justam quasi quandam familiaritatem cum hac re voluerit contrahere, is, quaequo, ad Grysarium se conferat; equidem quum malim libros ejus legendos alii commendare, quam ipse exscribere, ea tantum afferenda esse puto, quae ad id, quod proposui, necessaria esse videantur.

Constitui autem patrocinium suspicere ejus loci, quo fere solo de pantomimorum agitur origine, et quem ad unum prope omnes interpretes aut neglexerunt aut ineptum judicaverunt

Athen. I. p. 20, d. e. Τῆς δὲ κατὰ τοῦτον ὁρχήσεως τῆς τραγικῆς καλονμένης πρῶτος εἰςγητής γέγορε Βάθυλλος Κλεξανδρεὺς, ὃν φησι νομίμως ὁρχήσασθαι Σέλευκος· τοῦτον τὸν Βάθυλλον φησιν Ἀριστότερος καὶ Πυλάδηρ, οὐδὲ εστὶ καὶ σέγγραμμα περὶ ὁρχήσεως, τὴν Ἰταλίαν ὁρχησιν συστήσασθαι ἐπ τῆς ωμικῆς, ἢ ἐναλεῖτο κόρδαξ, καὶ τῆς τραγικῆς, ἢ ἐναλεῖτο ἐμμέλεια, καὶ τῆς σατυρικῆς, ἢ ἐλέγετο σίκαννις. et extr. e. ἵνα δὲ ἡ Πυλάδον ὁρχησις ὀγκώδης παθητική τε καὶ πολέκοπος, ἢ δὲ Βαθύλλειος ἡλαρωτέρα· καὶ γάρ ὑπόζηται τι τοῦτον διατεσθαι.*)

De quo Grysarius, quum causa non satis cognita pantomimorum artem ex Romanorum canticis originem ducere sibi persuasisset, his verbis sententiam suam exponit⁵⁾: „Sonderbar ist diese Notiz, noch sonderbarer, dass keiner der Erklaerer sich auf die Deutung derselben eingelassen hat. Wollte der Grammatiker aus dem Athenaeus diese Nachricht entlehnt, eine Zusammensetzung tragischer, komischer und satyrischer Chortaenze in dem Pantomimus finden, so machte er

1) Cf. dialog., qui conscriptus est περὶ ὁρχήσεως.

2) In oratione περὶ ὁρχηστῶν contra Aristidem habita.

3) Adnotationes in Scriptores historiae Augustae p. 496, sqq. ed. Paris. 1666 fol.

4) Ersch und Gruber Encyclopaedia s. v. Pantomimen der Alten, et Rheinisches Museum 1833. vol. I. p. 30. sqq. Praeterea multa egregie tractata sunt a Muellero, de genio aevi Theodosiani. Gotting. 1798. p. 103 sqq. et Langio, Vindiciae traged. Romanae.

5) Rhein. Museum I. I. p. 35.

* Haec verba mutila esse infra demonstrabo.

denselben zu dem seltsamsten Quodlibet, von dem sich allen anderen Ergebnissen zufolge auch nicht eine Spur in jenem nachweisen laesst. Soll aber mit dem *συστήσασθαι* ein Vermischen der in dem tragischen, komischen und satyrischen Tanze wahrnehmbaren Eigenthümlichkeiten angedeutet sein, so hat der Schriftsteller etwas Widersinniges gesagt, indem ein Vermischen so verschiedener oder vielmehr entgegengesetzter Elemente undenkbar ist. Es bleibt uns daher, um die auf jede Weise etwas ungeschickt ausgedreueckte Stelle nicht voellig aufzugeben, nur folgende Annahme uebrig. Pylades und Bathyllus erhoben das canticum nicht blass zu einer selbststaendigen Darstellung von groesserem Umfang¹⁾, sondern sie vervollkommenen auch den Tanz durch eine mehr reizende und kunstvolle Gesticulation. Dass diess der Fall war, sagt von Pylades namentlich Macrob. Saturn. II. 7. Hic ferebatur mutasse rудis illius saltationis ritum, quae apud majores viguit et venustam induxisse novitatem etc. Raeumen wir nun jcnem Grammatiker, der so gern das Ganze auf einen Griechischen Ursprung zurueckgefuehrt haette, es immerhin ein, dass jene beiden Kuenstler von der griechichen Orchestik, welche sie als Griechen vollkommen inne hatten, soviel auf die Ausbildung und Vervollkommnung der Pantomimen uebertragen, als sie anwendbar fanden: und obige Stelle hat wenigstens noch einen Sinn.

Miram Grysarius sensit hujus loci esse notitiam, suaeque sententiae contrariam, sed tamen non potuit a se impetrare, ut causa non satis cognita sibi mallet fidem derogare, quam veterum qualicunque testimonio.

Etenim quum totam pantomimorum artem ex Romanorum canticis repetendam esse sibi persuasisset, suae opinionis amore praepeditus, hunc Athenaei locum aut sensu carere aut hoc significare statuit, Pyladem illum et Bathillum quaecunque apta viderentur ex Graecorum, quam optime callerent, saltatione ad excolendam pantomimorum artem contulisse. Quae quidem interpretatio, quum longe illa a scriptoris nostri verbis recedat, vereor ne omnino ad Grysarii, quam sibi de Romana origine finxit, sententiam conformata nihil ad ipsam difficultatem expediendam afferre videatur.

Mihi res secus videtur se habere. Nam etsi paulo obscurius haec verba, neque satis accurate illa dicta esse et ipse fateor, tamen aptam quandam sententiam, eamque ad illustrandam hanc, quae de origine proposita est quaestionem maxime idoneam continere existimo. Sed priusquam ad rem ipsam aggrediar, pauca de saltatorum arte, qualis illa fuerit, exponere ab instituto nostro non est alienum.

Universa saltandi ars in imitando posita est.

Platon. legg. VII. 876. a. μηδεις τῶν λεγομένων σχῆμασι γενομένη τὴν ὁρ-
γησιν ἐξειργάσατο.

1) De catico hoc nostro loco nullus est sermo.

— XVIII —

Itaque pantomimorum, quoque, qui fere saltatores (*δρυγησται*) vocantur, summa cernitur in imitatione¹⁾.

Cassiodor. Var. lib. IV. c. 51. Pantomimo a multifaria imitatione nomen est. Sunt autem varia imitationis argumenta, mores, perturbationes, actiones, ut recte statuit

Aristot. Poet. I. 6. ed. Herm. καὶ γὰρ οὗτοι (saltatores) μιμοῦνται διὰ τῶν σχηματιζομένων ὄνθυσῶν καὶ ἡθρῶν καὶ πάθη καὶ πράξεις.

Ita fit, ut varia sint saltationis genera. Quo enim perturbationes praeципue exprimuntur, illud est lyricum saltandi genus²⁾. Actiones quae imitatur saltatio, dramatica vocatur. Denique morum imitatio in eo potissimum genere videtur inesse, quod mimorum³⁾ nomen invenit. Quamquam haec tria saltandi genera non omnino fuisse sejuncta, facile intelligitur.

Jam pantomimorum saltatio non potest esse dubium, quin fuerit dramatica. Quod cum ipsa docet Luciani interpretatio

de saltat. c. 67. οὐκ ἀπεισότως δὲ καὶ οἱ Ἰταλιῶται τὸν δρυγηστὴν παντόμιμον καλοῦσσιν ἀπὸ τοῦ δρωμένου σχεδόν,
tum omnia, quae et ab eodem et ab aliis recensentur argumenta, quaeque perspicue a tragoe-diae argumentis minime differre dicuntur

Lucian. de saltat. c. 31. αἱ δὲ ὑποθέσεις ποιαὶ ἀμφοτέραις, καὶ οὐδέν τι διακενθί-
μέναι τῶν τραγικῶν αἱ δρυγηστικαὶ.

c. 29. τὸ δὲ πρόσωπον ἀτὸ, ὡς κάλλιστον, καὶ τῷ ὑποκειμένῳ δράματι ἐοικός.

c. 63. c. 66. Ἰδὼν γὰρ πέτε πρόσωπα τῷ δρυγηστῇ παρεσκενασμένα (τοσούτων γὰρ μερῶν τὸ δρᾶμα ἦν) ἔξητει κ. τ. λ.

Imitatur autem pantomimus solis corporis motibus

Lucian. de saltat. c. 62. μιμητικός ἐστι (δρυγηστής) καὶ κινήμασι τὰ ἀδόμενα δεῖξεν
ὑποσχεῖται,
nutu, crure, genu, manu, rotatu³⁾. Quapropter saltatorum vocantur manus loquacissimae

1) Lucian. de saltat. c. 36. καὶ τὸ μὲν κεφάλαιον τῆς ὑποθέσεως, μιμητικὴ τίς ἐστιν ἐπιστήμη,
καὶ δεικτική, καὶ τῶν ἐννοηθέντων ἔξαγορευτική, καὶ τῶν ἀφανῶν σαρηγιστική. cf. c. 62.

2) Tria lyriæ saltationis genera enumerantur Athen. XIV. 630. d.

3) Huc spectat, quae nuper (d. XVIII. m. Apr. XL.) Romae inventa est, inscriptio:

CAESARIS. LUSOR.

MUTUS. ARGUTUS

IMITATOR

TI. CAESARIS. AUGUSTI. QUI

PRIMUM. INVENTIT. CAUS

IDICOS. IMITARI.

Cf. Rhein. Mus. 1842. p. 480.

3) Sidon. Apollin. carm. XXIII.

linguosi digiti, silentium clamosum¹⁾). Clasum enim os²⁾, vultusque persona tectus³⁾). Neque vero plane libera omnibusque legibus soluta erat saltatorum ars, sed gestus illi atque motus numero vinci⁴⁾, musicaeque modis plerumque temperati⁵⁾.

Et antiquissimis quidem temporibus arctissime conjuncta erat saltatio cum musica, iidemque saltabant et caneabant⁶⁾). Verum in pantomimorum arte musicae et saltationis partes erant separatae, ita ut chorus summo tibiarum, cithararum, aliorum organorum concentu, scabellorumque crepitu⁷⁾, totius fabulae argumentum cantaret⁸⁾, saltator idem corporis gestibus atque motibus exprimeret.

Atque hae quidem fabulae, quas salticas appellatas fuisse sagacissime vidit Welckerus⁹⁾, cum ad ipsum pantomimorum usum inventae sunt atque compositae¹⁰⁾, tum ex veterum dra-

1) Cassiodor. Var. I. IV. 51.

2) Sidon. I. I.

3) Lucian de saltat. c. 29. τὸ δὲ πρόσωπον αὐτὸν ὡς κάλιστον καὶ τῷ ὑποκειμένῳ δράματι ξει-
ζός, οὐ κεχηρὸς δὲ ὡς ἔκεινα, ἀλλὰ συμμευνός.

Cassiodor. Var. I. I. 29.

4) Aristot. Poet. I. §. 6 ed. Herm. αὐτῷ δὲ τῷ ὄνθιτῷ μιμεῖται χωρὶς ἀρμονίας ἢ τῶν δραχμῶν.

5) Cf. Lucian. de saltat. c. 63.

6) Lucian d. s. c. 30. Πάλαι μὲν γὰρ αὐτοὶ καὶ ἥδον καὶ ὀρχοῦντο· εἰτὲ ἐπειδὴ κινουμένων τὸ
ἀσθμα τὴν φύσην ἐπετάσσετε, ἅμεινον ἔδοξεν ἄλλους αὐτοῖς ὑπάρχειν.

7) Sueton. Calig. c. 54.

8) Cassiodor. Var. I. IV. 51. Pantomimus igitur quum primum in scenam plausibus invitatus adven-
nerit, assistunt consoni chori diversis organis eruditii.

Lucian. de salt. c. 26. καίτοι τὸν μὲν αὐλόν εἰ δοκεῖ καὶ τὴν κιθάραν παρῆμεν· μέρη γὰρ
τοῦ τοῦ δραχμοῦ ὑπηρεσίας καὶ ταῦτα.

Plin. epp. VII. 24 singulos gestus cum canticis reddebant.

9) Rhein. Mus. 1833. I. p. 56.

10) Juven. sat. VII. 86. 87.

Auditur (sc. Statius): sed quum fregit subsellia versu
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.

Quum Paris sit illustrissimus ille pantomimus, Agave videtur esse aliqua fabula saltica in pantomimo-
rum usum a Statio composita.

Seneq. Suasor. II. p. 20. ed. Bip. Silonem pantomimis fabulas scripsisse refert.

Sueton. Nera c. 54. Sub exitu quidem vitae palam voverat — proditum se — novissimo die hi-
strionem, saltaturumque Virgilii Turnum.

Lucian. de saltat. c. 84. τοῦ γὰρ ὄμοιον Αἴαντος αὐτῷ γραφέντος, οὗτοι κοσμίως
καὶ σωφρόνως τὴν μανίαν ἐλέγχοντας κ. τ. λ.

matis expressae atque dispositae¹⁾). Nullo enim pacto Graecorum dramata, veluti Sophoclis Trachiniae, Euripidis Ion et Troades, talia edi poterant, qualia scripta erant, quippe quum prorsus diversa esset antiqui dramatis atque pantomimorum ratio. Etenim in tragodia, comoedia, dramate satyrico plures erant actores, in fabulis salticis unus, qui pluribus²⁾ deinceps partibus susceptis, singulas deinceps actiones saltando exprimebat.

His rebus praemissis ad ipsum Athenaei locum expediendum accedo, quem Schweighaeuserus interpretatione latina satis recte sic videtur expressisse: „Tragicum, quam vocant, saltationem, quae Athenaei aetate in usu fuit, primus introduxerat Bathyllus Alexandrinus, quem legitime saltasse ait Seleucus. Hunc Bathyllum scribit Aristonicus et Pyladem, cuius exstat etiam commentarius de saltatione, Italicam saltationem composuisse (instituisse) ex comica, quae cordax vocabatur, ex tragica, quae vocabatur emmelia, et ex satyrica, quae sicinnis appellabatur.“

Et primum quidem manifesta, nisi fallor, quae statim initio deprehenditur corruptela, ad unum omnes latuit interpretes. Maximo enim opere offendit, quod quae saltatio ex tragica, satyrica, comica conflata esse dicitur, ea tragicae nomen invenisse traditur. Neque vero, quum ante jam existeret tragicum saltandi genus (emmelia), pantomimorum artem probabile est tragicam praecipue esse nominatam, quum praesertim ea ne tragica quidem esset sola, sed etiam ad comoediam atque satyricum drama pertineret. Accedit, quod eadem hoc ipso nostro loco paulo post appellatur Italica. Quam ob rem non dubito, quin pro τῆς δὲ κατὰ τοῦτον ὀρχήσεως τῆς τραγικῆς καλουμένης legendum sit τῆς Ἰταλικῆς καλουμένης. Quae quidem emendatio et cum sequentibus verbis: τοῦτον τὸν Βάθυττον, φησὶν Ἀριστόνικος, καὶ Πυλάδην τὴν Ἰταλικὴν ὄρχησιν συστήσασθαι κ. τ. λ. optime concinit, et tota nostri loci expositione egregie confirmabitur. Denique ut tragicam eam appellatam fuisse nullum praeterea documentum exstat, sic Italicae nomini permulti illi loci, qui eām in Italia inventam exultamque fuisse demonstrant, summam fidem conciliant. *F quo comprobetur.*

Sed quam tandem sententiam in iis verbis inesse judicabimus, quibus Pylades atque Bathyllus composuisse vel constituisse dicuntur Italicam saltationem ex tragica, satyrica, co-

1) Orell. inscriptt. No. 2629.

Arnobius adv. gentes lib. IV. ed. Lugdun IXLI. p. 151. necnon et illa proles Jovis Sophoclis in Trachiniis Hercules pestiferi tegminis circumretitus indagine miserabiles edere inducit eulatus.

Sueton. Calig. c. 57. Pantomimus Mnester tragediam saltavit, quam olim Neoptolemus tragedus Iudis, quibus rex Macedonum, Philippus occisus est, egerat.

2) Lucian de saltat. c. 66. ιδῶν γὰρ πέντε πρόσωπα τῷ ὀρχηστῇ παρεσκευασμένα (τοσούτων γὰρ μερῶν τὸ δρᾶμα ἦν) ἔζητε, ἐνα δρῶν τὸν ὀρχηστὴν, τίνες οἱ ὀρχηστέοι καὶ ὑποχρινούμενοι τὰ λοιπὰ πρόσωπα εἶεν; ἐπεὶ δὲ ἔμαθεν, ὅτι δι αὐτός ὑποχρινεῖται, καὶ ὑποχίστεται τὰ πάντα κ. τ. λ.

mica? Quodsi de confusione quadam trium illorum saltandi generum dictum esset, ineptum illud cum Grysario censerem.

Etenim tanto ea discriminé se junguntur, ut coalescere vix possint. Atque cognoscitur omnis in saltatione diversitas ex diversa, ut ita dicam, morali indole. Haec autem indoles in φοῖσσαι (motuum) καὶ σχημάτων (figurarum) proprietate est posita.

Plutarch. Quaest. Convival. IX. 15. c. 2. φοῖδες μὲν οὗντάς κινήσεις ὄνομάζονται, σχήματα δὲ σχέσεις καὶ διαθέσεις, εἰς ἃς φερόμεναι τελευτῶντι μὲν κινήσεις, ὅταν Ἀπόλλωνος, ἡ τινος Βάκχης σχῆμα διαθέντες ἐπὶ τοῦ σώματος γραφικῶς τοῖς εἴδεσι ἐπιμένωσι· τὸ δὲ τοίτον ἡ δεῖξις, οὐ μαμητικὸν ἔστι, ἀλλὰ δηλωτικὸν ἀληθῶς τῶν ὑποχειμένων.

Respondet igitur, nisi fallor, φοῖδα nostro, quod ex Gallica lingua duximus, „pas“, σχῆμα nostro „tour“, et quum universa saltatio, teste Platone, ex imitatione sit nata eorum, quae recitantur, ea est φοῖσσαι et σχημάτων ratio, ut φοῖδαι quasi sint verba, quibus exprimantur σχήματα, sententiae, quae sese deinceps excipientes atque inter sese nexae certam quandam morum exhibeant speciem.

Jam vero, ut vir gravis, constans, pari firmoqué incedit gradu, adolescens spe, fervore, cupiditate agitatus nunc stat, nunc currit, puer laetus, ferox, effusus currit, salit, exultat, ita in saltando quoque, quod nihil aliud videtur esse quam numerose ingredi¹⁾, majori minorive motu, certae quaedam exprimuntur sententiae, certi mores²⁾.

Quae cum ita sint, tria illa dramaticae saltationis genera³⁾ non minus inter se differre consentaneum est, quam ipsam tragediam, comoediam, drama satyricum.

Et emmelia quidem, quae est tragediae, inter tria saltationis genera pulcherrima illa, gravis est, sedata, constans, concinna⁴⁾.

1) Platon. de legg. II. 673 D. Οὐκοῦν αὖ ταύτης ἀρχὴ μὲν τῆς παιδιᾶς τὸ κατὰ φύσιν πηδῶν εἰδίσθαι πᾶν ζῶν, τὸ δ' ἀνθρώπινον, ὡς ἔφαμεν, αἱσθησιν λαβόν τοῦ ὕνθμοῦ ἐγέννησε τε ὕραγ-σιν καὶ ἔτεκε. κ. τ. λ.

2) Platon. de legg. VII. 815. E. 816. A. ἐν δὲ δὴ τοῖς τοιούτοις που πᾶς ἀνθρωπος τὰς κινήσεις τοῦ σώματος μειζόνων μὲν τῶν ἡδονῶν οὐσῶν μειζούν, ἐλαττόνων δὲ ἐλάττονς αὖ, δειλὸς δὲ καὶ ἀγύμναστος γεγονὼς πρὸς τὰ σωφρονεῖν μειζούνς καὶ σφοδροτέρας παρέχεται μεταβολὰς τῆς κινήσεως. Athen. XIV. 628. c.

3) Cf. Schol. ad Aristoph. Nub. v. 540. Etymol. Magn. v. σίκιννις. Phavorinus p. 1383. p. 1647. Ammon. v. κόρδαξ. Eustath. in Hom. Iliad. 6 v. 605. p. 1127. 28. ed. Roman. Polluc. Onomast. IV. 14. Suid. v. Πυλάδης v. ἐμμέλεια. Phot. v. σίκιννις.

4) Platon. de leg. VII. 814. E. 816. B.... τὸ πρέπον τε καὶ ἀρμόττον ἐπιθείς ὄνομα. Athen. XIV. 630. d. ἐν ἐκατέρᾳ δὲ (et tragica et gymnopaedica saltatione, quae est lyricalia) δρᾶται τὸ βαρὺ καὶ σεμνόν. Schematum innumera multitudo, ut in Plutarch. Quaest. Convival. VIII. 9. Phrymichi illud:

Opposita emmeliae cordax, (quod genus comoediae est proprium), rustica, indecora, dis-soluta, lasciva¹).

Denique sicinnis, satyrici dramatis saltatio, ut est Satyrorum natura, hilaris, procax, omnium concitatissima²).

Apparet igitur, de confusione aliqua trium illorum saltandi generum cogitari minime posse, sed ad aliam interpretationem esse consugiendum. Atenim simplicissima haec videtur esse explicandi ratio. Nempe dramatica est pantomimorum ars, ex veterum dramatica saltatione orta. Et quum tria essent scenicae saltationis genera, poterat ea esse aut tragica, aut satyrica, aut comica. Quod negat nostri loci, quem interpretandum proposuimus, scriptor; minime eam in sola aut tragoedia, aut comoedia, aut satyrica fabula exprimenda versatam esse, sed ex tribus eam compositam, id est argumenta et tragica et satyrica et comica complexam affirmat.

Σχήματα δ' ὄρχησις τόσα μοι πόρεν, ὅσσ' ἐνὶ πόντῳ
Κέματα ποιεῖται χείματι τὸς ὀλογῆ.

Quorum multa ipsi invenerunt poetae, inter quos in primis nominandus est Aeschylus.

Cf. Athen. I. p. 21. c. f. Plura enumerantur apud Polluc. IV. 99. sqq. Athen. XIV. 629. f. Schol. ad Aristoph. Vesp. 1520.

1) Schol. ad Arist. Nub. v. 540. οὐραῖς κωμική, ἥτις αἰσχρῶς κυρεῖ τὴν δοσφῦν.

Schol. Aristot. Rhet. III. 8. ἔστι δὲ κορδάκιστιν εἶδος ἀνειμένον ὄρχησεως.

Ulpian. in Demosth. Olynth. II. κορδάκισμος ἔστιν εἶδος ὄρχησεως αἰσχρᾶς καὶ ἀπρεποῦς.

Athen. XIV. 631. d. Aristoph. Ran. v. 330.

Quanta vero fuerit schematum et motuum obscoenitas, intelligi potest ex

Aristoph. Vesp. 1520. sqq.

ταχὺν πόδα κυκλοσοβεῖτε
καὶ τὸ Φρυνίζειον
ἐκλακτισάτω τις, ὅπως
ἰδόντες ἄγω σκέλος ὡ-
ζωσιν οἱ θεαταί,
στρόβει, παράβατε κύκλῳ καὶ γάστρισον σεαυτὸν
ὅπτε σκέλος οὐραῖον, βέμβικες ἐγγενέσθων.

2) Athen. XIV. p. 630. b.... εἰσὶ δέ τις, οἵ τινι ποιητικῶς ὠνομάσθαι ἀπὸ τῆς κινήσεως, ἥν καὶ οἱ σάτυροι ὄρχοῦνται ταχυπέτην οὖσαι. Hesych. v. σίκυντις.

Egregie hanc Satyrorum naturam describit

Euripid. Cycl. v. 218. Κυκλ. μήλειον, ἡ βόειον, ἡ μεμιγέρον;

Xoρ. ὃν ἂν θέλησι σύ· μη· μὲ καταπήης μόνον.

Κυκλ. ἥκιστ̄ ἐπεί γ' ἄρ τὸν μέσην τῇ γαστέρι

πηδῶντες ἀπολέσαιτ̄ ἄν ὑπὸ τῶν σκημάτων.

— XXIII —

Quo efficitur, ut triplex extiterit pantomimorum genus, tragicum, satyricum, comicum.

Atque hanc sententiam, nulla profecto machina adhibita, ex hoc loco dici posse, nemo est, qui in dubitationem vocet. Exploremus autem, utrum ipsa, quam invenisse nobis videmur, res veterum testimoniis comprobetur, necne.

Et tragicum quidem genus latissime patuisse ex permultis intelligi potest documentis. Testis est in primis *Lucianus*, qui omnes terras peragrans, argumentaque et mythica et historica, quae singulis locis inveniantur, recensens, comparata tragœdia cum pantomimorum saltatione, utrinque artis argumenta minime differre dicit:

De saltat. c. 34. Αἱ δὲ ὑποθέσεις κοιναὶ ἀμφοτέροις, καὶ οὐδέν τι διακεκριμέναι τῶν τραγικῶν αἱ ὁργηστικαὶ, πλὴν ὅτι ποικιλώτεραι αὗται, καὶ πολυμαθέστεραι, καὶ μνήσις μεταβολὰς ἔχουσαι.

c. 60. εἴσεται δὲ καὶ τὴν ἐν ἄδου ἀπασαν τραγῳδίαν.

c. 64. Συνελόντι δὲ εἰπεῖν, οὐδέν τῶν ὑπὸ τοῦ Ὁμήρου, καὶ Ἡσιόδου, καὶ τῶν ἀρίστων ποιητῶν, καὶ μάλιστα τῆς τραγῳδίας λεγομένων, ἀγνοήσει.

Accedit luculentissimum inscriptionis alicuius testimonium Orell. inscriptt. lat. T. I. No. 2629.

D. M. || CURANTE CALOPODIO LOCATORE ||

THEOCRITI || AUGG. LIB || PYLADI || PANTOMIMO || HONO-

RATO || SPLENDIDISSIMIS || CIVITATIB. ITALIAE || ORNA-

MENTIS || DECURIONALIB. ORNA || GREX || ROMANUS || OB

MERITA EJUS || TITUL. MEMORIAE || POSUIT. — Ab altera parte:

SUI TEMPORIS PRIMUS || TROADAS. A tertia: JONA.

Ubi aut fallor, aut ultimis verbis: *Troadas*, *Jona*, *Euripidis illae* significantur tragœdiae, quibus exprimendis maxime excelluerit *Pylades*, sive is fuit ipse pantomimicae saltationis auctor, sive alias.

Confirmat denique, ut alios taceam, auctoritas *Suetonii*, qui in *Caligulae vita* c. 57. „*Pantomimus Mnester*“, inquit, „tragoediam saltavit, quam olim Neoptolemus, tragœdus, ludis, quibus rex Macedonum, *Philippus*, occisus est, egerat.“

Satyrici generis pauciora quidem, neque tamen minus illa gravia existunt vestigia. Ac primum quidem inter ea, quae *Lucianus* enumerat¹⁾, salticarum fabularum argumenta, permulta reperiuntur, quae ab antiquissimis poetis Graecis in satyricis fabulis tractata esse sciamus. Veluti, ut pauca exempla afferam, *Aeschylus* traditur scripsisse *Prometheum*, *Circen*, *Sophocles Herculem* et *Inachum*, *Euripides Herculem*²⁾, *Achaeus Vulcanum*, quae omnes fabulae in

1) *Lucian. de saltat. c. 37 — 61.*

2) Cf. *Cramer. Anecd. Parisiens.* vol. I. p. 7. 8.

satyricarum numero referuntur¹⁾; eademque argumenta apud Lucianum commemorata inventimus c. 38, c. 39, c. 41, c. 43, c. 46.

Sed haec tamen res, si verum fateri volumus, non multum posset valere, nisi aliorum accederet eorumque certiorum documentorum fides. Quid autem aliud, quam satyrica saltationis argumentum exhibit

Horatii illud Sermon. I. 5. 63.

Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus

Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat.

Eodem spectat in Epist. II. 2. 124.

Ludentis speciem dabit, et torquebitur, ut qui

Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur.

Et magis etiam perspicue satyricum argumentum significare videtur Plutarchus Quaest. convival. lib. VII. quaest. VIII. c. 3²⁾ ed. Paris., qui quum rejiciat Pyladis saltationem, „tumidam illam affectuumque plenam“, laudat „Bathylleam, Echus aut Panis alicujus aut Satyricum Amore comessantis personam saltando referentem.“

Neque vero contempnendum est Festi auxilium, cuius exstat in Pauli Diaconi excerptis haec notitia lib. VII. p. 73 ed. Lindemann

s. v. grallatores. Grallatores appellabantur pantomimi, qui ut in saltatione imitarentur Aegipanas adjectis perticis, furculas habentibus, atque in his superstantes ob similitudinem crurum ejus generis gradiebantur, utique propter difficultatem consistendi. Etenim quum Aegipanas³⁾ in magna Satyrorum turba fuisse constet, pantomimos ipsos satyrica quoque argumenta saltando expressisse, clarissime ex hoc loco eluet.

Postremo, ut omnis dubitatio removeatur, ipsam satyrica saltationis descriptionem eamque accuratissimam servavit nobis Nonnus Dionysiac. lib. XIX. v. 223 sqq. p. 419 ed. Graefe.

Restat, ut comoedias quoque a pantomimis saltatas fuisse comprobemus. Est autem satis idoneus, opinor, nostrae sententiae auctor Seneca rhetor. controvers. excerpt. III. praef. Qui quum exponere conatus esset, magna ingenia plus quam in uno opere raro eminuisse: „Virgilium, inquit, illa felicitas ingenii, in oratione soluta reliquit, Ciceronem eloquentia sua in carminibus destituit. Eloquentissimi viri Platonis oratio, quae pro Socrate scripta est, nec patrono, nec reo digna est.“ Jam ad scenam transiens, quum dicat: „Et ut ad morbum te meam vocem“, nonne diserte fatetur ille quidem, rem scenicam in summis

1) Cf. Welcker, Nachtrag zur Aeschylyischen Trilogie.

2) De hoc loco mox accuratius disputabitur.

3) Cf. Heyne, antiquar. Aufsaetze 2. p. 70. Plin. Natur. Hist. lib. V. c. 1. Eundem noctibus miscere crebris ignibus, Aegipanum Satyrorumque lascivia impleri sqq.

sibi esse deliciis, ita ut fere morbum appelles singulare illud studium? Quo gravius esse debet sequentium verborum momentum: „Pylades in comoedia, Bathyllus in tragoeadia, multum a se aberant.“ Unde perspicue, si quid video, intelligitur, et Pyladem et Bathyllum comoedias non minus quam tragedias saltasse, sed alterum comoedia, alterum tragedia superiorem fuisse. Comparatis autem Plutarchi et Athenaei locis obscurum esse non potest, Pyladem tragicō genere praestitisse, Bathyllum comicō. Etenim sic statuit Plutarchus Quaest. convival. lib. VII. quaest. VIII. 3. de utriusque saltatione: *Αποπέμπω δὲ τῆς ὁργήσεως τὴν Πυλάδειον, δγκώδη καὶ παθητικὴν καὶ πολυρρόσωπον¹⁾ οὖσαν, αἰδοῖ τε τῶν ἐγκωμίων ἐκείνων ἡ Σωκράτης περὶ δοκήσεως διῆλθε, δέχομαι τὴν Βαθύλλειον αὐτόθεν πέζαν²⁾, τοῦ κόρδακος ἀπτομένην, Ἡζοῦς η τινος Πανὸς, η Σατύρου σὺν ἔρωτι καμάξοντος ὑπόρχημά τι διατίθεμένην.* In quo quod attinet ad tragicam Pyladis saltationem, id jam satis est illustratum. Comicum autem, a Bathyllo in primis cultum saltandi genus extitisse luculentissime significant verba illa, quibus ejus saltatio cordaci traditur fuisse affinis³⁾. Idem prorsus refert noster Athenaei locus I. p. 20. c. ἦν δὲ η Πυλάδον ὁργησις δγκώδης παθητικὴ τε καὶ πολύκοπος⁴⁾, η δὲ Βαθύλλειος ιλαρωτέρα καὶ γὰρ ὑπόρχημά τι τοῦτον διατίθεσθαι.

Quem locum fere totum ex Plutarcho expressum esse videmus, sic, ut priora quidem verba omnino cum eodem consentiant. Posteriora autem ineptus compilator ita mutilavit, ut ea sensu plane careant. Nam quum exposuisset de diversa Pyladis et Bathylli saltandi ratione, omnino intelligi non potest, quid sibi velit languidum illud: „Nam Bathyllus hyporchema saltando imitatus est.“ Haec autem vera videtur esse vocabuli διατίθεσθαι potestas. Ut enim διατίθέραι, quod proprie est disponere, de histrionibus et rhapsodis dictum significat, oratione vel actione aliquid exprimere, veluti

Platon. de legg. II. p. 658. d. *Ραψῳδὸν δέ, καλῶς Τλιάδα καὶ Ὁδύσσειαν η τι τῶν Ἡσιοδείων διατίθεντα, τάχι ἄν ήμεις οἱ γέροντες ἥδιστα ἀκούσαντες νικᾶν ἄγ φαιμεν πάμπολν.*

Platon. Charmid. p. 162. D. δ' οὐκ ἡγέρσητο, ἀλλά μοι ἔδοξεν δργασθῆναι αὐτῷ ἀσπερ ποιητὴς ὑποκριτῆς κακῶς διατίθεντι τὰ ἔαυτοῦ ποιήματα.

1) Equidem eum Langio (Vindic. tragoeid. Roman.) πολύκοπον legendum censeo (cf. Athen. I. p. 20. c. qui confert Cic. Brut. c. 30.

2) Casaubon. de satyric. poes. lib. I. c. 4. p. 113 bene corrigit: παιῶνσαν, „quae simpliciter ludit.“

3) Non satis liquet, quales fuerint illae comoediae, quas saltaverunt pantomimi. Nam nostro quidem loco de comoediis mythicis sermo videtur esse; apud Lucianum autem aliud sine dubio genus commemoratur de saltat. c. 29. *Ἡ δὲ κωμῳδία δὲ καὶ τῶν προσώπων αὐτῶν τὸ καταγέλαστον μέρος τοῦ τερπνοῦ αὐτῇ νενόμικεν (scriendum videtur νενέμηκεν), οἷα Δάων καὶ Τιβίων καὶ Μαγείρων πρόσωπα.* Quem locum data occasione alias interpretabor.

4) Salmasius in Notis ad scriptt. Histor. August. πολυρρόσωπος pro πολύκοπος reponendum judicavit.

sic ad pantomimos translatum, non aliud esse potest, quam argumentum aliquod salticum saltatione exprimere¹⁾). Verum enimvero num proprium erat Bathylli, ut hyporchema saltaret? Immo tota pantomimorum ars ex hyporchematis fluxit, ex quo eodem fonte manavit emmelia cordax, sicinnis; id quod clarissime perspicitur ex

Athen. I. 45. d. ὑποσημαίνεται δέ ἐν τούτοις ὁ ὑπορχηματικὸς τρόπος, ὃς ἡρθησεν ἐπὶ Σενοδίουν καὶ Πινδάρον· καὶ ἔστιν ἡ τοιαύτη ὁρχησίς μεμησίς τῶν ἀπὸ τῆς λέξεως ἐρμηνεύομένων πραγμάτων. cf. Athen. XIV. 628. d. c.²⁾

Quae cum ita sint, non dubium est, quin corruptum esse hunc Athenaei locum existimandum sit. Nempe totius rei cardo in eo vertitur, ut dicatur, quae potissimum argumenta saltando exprimere solitus sit Bathyllus, quod fuerit Pyladis et Bathylli discrimen. Ideoque addendum erat, quod apud Plutarchum legitur, (δέχομαι τὴν Βαθύλλειον, Ἡχοῦς ἢ τινος Πινδὸς ἢ Σατύρου σὺν ἔρωτι κωμαίζοντος ὑπόρχημά τι διατιθεμένην), ut Pyladem in tragicis, sic Bathyllum in comicis argumentis excelluisse.

Jam finem facio huic disputationi, quum triplex extisset pantomimorum genus ipsamque artis originem ad Graecorum saltationem dramaticam referendam esse mihi videar demonstrasse. Cur autem saltatio, ex Graecia oriunda illa, nominata sit *Italizή* atque in Italia non modo exulta et perfecta, sed etiam sit inventa, quae denique fuerit *scenae Graecae*³⁾ apud Romanos ratio atque historia, hoc etsi in animo erat exponere, tamen ne justos hujus scriptoris terminos transgrediar, in illud tempus reservabo, quo mihi concessum fuerit, peculiarem, quem de Romanorum theatro institui, libellum perficere.

1) Abhorre a Graecis verbis Schweigaeuseri interpretationem: „Bathyllea vero hilarior; is enim cum saltatione cantum etiam aliquatenus conjungit“, nemo est, qui non videat.

2) Immutata est postea haec primaria vocis significatio. Diligentissime autem collegit omnes fere locos, ex quibus accuratissime hujus vocabuli historiam cognoscere possis, Leutsch, Grundriss zu Vorlesungen ueber die Griechische Metrik p. 379.

3) Cf. Orell. inscriptt. lat. T. I. No. 2602.